

beram, professus 1628. die 25. Martii, sub exilio Suecico ex dispensatione ante requisitam aetatem et extra tempus Constantiae ordinatus est sacerdos, praesentatus a rev. domino Thoma, abbate Salemiano, congregationis superioris Germaniae vicario generali, anno 1634, die 6. Januarii. Reversus ad monasterium fit subprior 1637; servitor 1638; pistrinarius 1639; bursarius 1640 usque 1642. Post perperas graves aegritudines missus fuit Caesaream, inde in Austriam 1643, reversus inde 1649. brevi post obiit in monasterio die 21 Julii sepultus in coemiterio nostro. Fuit bonus musicus et organaedus et vir ingeniosus ac in omnibus artificiosus.

[fol. 120<sup>a</sup>.] Joannes Eichorn\*, Aschaffenburgensis, professus cum eodem [Georgio Menz] 1628, studuit logicae sumptibus monasterii Herhipoli 1629, ea absoluta obiit phthysi 1630, die 7. Januarii, aetatis suae anno 20, acolythus. Raptus est hic terrestris angelus tempestive adeo ex hac vita, ne malitia futurorum temporum mutaret intellectum illius; placita enim erat deo anima illius. Adolescens fuit (quemadmodum testati sunt omnes, qui eum noverunt\*\*) omnibus carus et amabilis. Staturae medioeris, vultu formosus, capillo flavescente, ingenio pollens, modestus moribus, verecundia, submissione et praeter scientiae excellentis in limine studiorum pullulantem eminentiam, virtutibus reliquis commendatus et, quod caput est, innocentiam baptismalem servavit illibatam, teste ejus confessario, qui sancto affirmavit, se nullum peccatum grave in ejus generali confessione unquam reperisse. A puero devotione tam in deum, quam in ejus gloriosam virginem matrem, praecipue enituit, post quos inter coelites maxime dilexit et coluit s. angelum custodem, sanctum patrem Bernardum, s. Joannem evangelistam, s. Joseph et sanctos ordinis nostri. Colloquia de deo et sua dilecta matre Maria rebusque piis recreabant cor ejus, licet talia audire, quam suos ipse promere sensus (quod verecundiae solet esse affine) mallet. Quod si loqui jubebatur, pauca ac si parum de talibus posset, ex sua mente addidit, melius judicans audire alios, ab iis discere, quod virtuosum est eorumque judicio cedere, quam abundare in suo seque totum foras effundere. Si forte sermo absentes censorie tangens incidisset inter confratres, vel aequales, placide abrumpebat dicendo:

\* Er gehörte derselben Familie an, aus welcher der Preuß. Staatsminister Johann Albrecht Friedrich Eichhorn, geboren in Wertheim 1773, herborging.

\*\* Nach der unten folgenden Stelle bezieht sich dieses auf den P. Peter Haas, gestorben 1644, und den Abt Christoph Sahn, gestorben 1675.

„aliquid aliud“ (Etwas anders). Hic itaque frater 1629. graviter infirmari coepit, cui ad inserviendum deputatus a superioribus fuit p. Petrus Haas, de quo supra\*. qui ei quoque per 6 septimanas caritative ministravit. Ergo cum in festo circumcisionis domini 1630 ante vigiliis noctis, morti quam vitae vicinior, nocturnas a fratre sibi inserviente peteret frequentare vigiliis idque ei propter impossibilitatem denegatum fuisset, circa horam secundam matutinam, subito vidit coelestem et gloriosam prodeuntem processionem monachorum Cisterciensium cucullis albis et splendescens amicturum, ab oriente versus monasterii templum in magna gloria procedentem adque chorum tendentem. Quo viso exclamavit: „o frater Petre, quid video! Nonne et tu vides turbam hanc magnam, exercitum hunc monachorum Cisterciensium? O quam pulchri monachi sunt isti! o quomodo coruscant!“ Quae cum minime videret frater ipsi inserviens eumque delirare aut somnare putaret, ille subjunxit: „vere, frater, non dormio, sed vigilo.“ Dicenti f. Petro: „frater Joannes, hi sunt sancti fratres nostri, qui te ducent ad coelestes vigiliis, ille subjunxit: „o, o utinam!“ Sciendum autem est fratrem infirmum istum phthysi, non morbo aliquo phrenetico aut delirioso laborasse. In hac etiam infirmitate vigilans diabolus sub habitu cucullato nigro tetroque vultu larvatum vidit fratrique sibi ministranti ostendit (cuius praesentiam, etsi oculis ille cernere nequiverit, manifeste tamen sese sensisse affirmavit) quem signo crucis et aspersione aquae benedictae fugarunt.

Postridie epiphaniae dominicae circa horam primam pomeridianam, tempus extremae unctionis adesse ipse nuntiavit eamque petiit et accepit praesente toto conventu: iterum iterumque confessus coelesti reficitur viatico. Habitu suae professionis indutus sedet manibus complicatis in corona fratrum suorum orantium, circumstantium et lacrymantium perfususque interno gaudio et jucunditate (quod vultus demonstrabat) ridenti quasi ore dixit: „iam laetus moriar, quia vidi faciem domini mei.“ Quibus dictis, factus in agonia, in manus confessarii deponens et inclinans caput, in latus Jesu et cor Mariae innocentem animam obdormivit in domino, circa horam quartam pomeridianam. Sepultus est in coemiterio fratrum ad columnam lapideam sinistram retro summum altare.

Post ejus obitum Herhipoli vulgatum, non solum per singulas per majorum facultatum classes, meritis virtutum laudes tulit, sed et r. p. Maximilianus Sandaeus

\* S. oben S. 299—303.